



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 4. Mores Noui Melitensium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

biles & falcones magni per totam Europam pretij. Caret Insula ligno, quare indigenæ vtuntur fimo bouum exsiccato, aut accersunt ex Sicilia magno pretio olearum ramos. Hinc quoque Cuminum pretiosum eductum per Italiam distrahitur.

N V M. 4. *Mores Novi Melitensum.*

Indigenæ fortissimi sunt, sed zelotypi; scemina in libidinem proniores, ipsæ quoque fortissimæ, & quæ aliquando cum Ianizaris Turcicis depugnarunt. Parcissimè viuunt, & fermè oleribus, ac herbis. Linguam retinent veterem Punicam, quare verba Platini Punica intelligunt, & *Epheta* sacrorum codicum apud eos significat *adaperire*. Præficas mulieres adhibent funeribus suis quæ lacrymas suas vendunt.

De *Equitibus* pauca dicam. Nouitij per annum in Insula retinentur, atque exercentur in operibus pietatis, atque militiae. Equites in Hospitiis viuunt, (*Auberges* vocant) aut si licentiam obtinuissent in domibus suis, aut cum Commendatariis *les Commandeurs*; Sacerdotes, & Fratres Seruitæ *les Freres Seruans*, semper in hospitiiis degunt.

De Magistro, & aliis ad Ordinem spectantibus, non est huius libri opus. Equites ferè sexcenti Valætæ numerantur, reliqui in alia loca per Insulam distributi sunt. Diuiduntur in octo *linguas*, vt vocant, Prouinciæ, Aluerniæ, Franciæ, Italiæ, Aragoniæ, Angliæ, Germaniæ, Castiliæ ex quâ Lusitanica pendet. Equites Magnâ Cruce ornantur, qui decem annis hæserunt Melitæ, & quatuor expeditionibus interfuere, *Carauans* vocant. Cætera repetite ex Historiâ Melitensi.

N V M. 5. *Politia recens Melitæ.*

EQUITES Melitenses primùm dicti sunt Nosocomij, seu Hospitij S. Ioannis Hierosolymitani, & post captam Hierosolyman resistere in Syriâ in arce suâ, seu Castro Margatio *Margat*. Deinde Ptolemaidem *Acre* se receperunt; exinde in Insulam Cyprum, vnde occupauere Cyprum sub Magistro Villareto, atque inde dicti Equites Rhodij. Ex Rhodo eiecti sunt à Solimano anno 1522. vnde se contulere in Insulam Cretam, Messanam, Centumcellas

Ci-